

*Stuporis
causa.*

autem spiritus motus & sensitiui transeant per eundem porum, vel per diuersos, difficile est pronuntiare. Auicenna videtur tenere quod per diuersos, potest tamen obtineri quod per eundem, vt facit Thulcanus monachus, & etiam alij Doctores; hanc tamen disputationem prætermitto breuitati indulgens, tū quia occupatio in his contractionibus impedit medicum ab opere suo, i. 4. sed veniamus ad ipsas causas stuporis secundum mentem Auicennæ & aliorum in medicina autorū. Primò, quod causæ stuporis sunt aut ex parte virtutis motiue, aut ex parte spirituum sensibiliū, aut ex parte ipsorum neruorum in membra disseminatorū. Secūdo noto, quod spiritus sunt instrumenta principalia & immediata sensibilis virtutis, nerui verò mediata & materialia vel instrumentalia. Tertio noto, virtutem posse multipliciter debilitari, vt in hoc cap. pulchrè declarat Princeps. Quarto noto, instrumenta tam mediata quàm immediata posse à pluribus causis impediri, ita vt prohibeantur ab actione sua, vt ab excessiua frigiditate, ab immoderata caliditate corrumpente vel alterante complexionem eorum. Quinto noto, quod propter grossitiam neruorum aut membri soliditatem, spiritus sensibiles nō penetrāt, sicut splendor solis nō penetrat materiam grossam & spissam: & propter hoc cōtingit, quod in tactu pedis in comparatione ad tactum manus, percipiebatur quasi stupor quidā, siquidem nerui pedis sunt grossiores & minus penetrabiles à spiritibus, quàm nerui manus. Sexto noto, non solum spiritus impediri à suis operationibus propter causas iam dictas, sed etiam propter oppilationē, trāsitum spirituum sensibiliū impediētem: & hoc potest fieri vel ab humoribus omnibus (quamuis rarius à cholera propter eius subtilitatem, vel ab apostemate, vel à ligatura aut coarctatione seu à dolore, vel à nimia siccitate: & hoc est malum, aut à mollificatione facta à nimia humiditate, quam sequitur meatuum clausio. Septimo noto, quod omnes istæ causæ enumeratæ accidere possunt, aut per essentiam in cerebro, aut per consensum à membris inferioribus: & si in cerebro, aut est in toto, aut in nucha aut ramis neruorum, &c. Si per consensum, tunc est aut ex stomacho vel alijs membris inferioribus. Octauo noto, ex anatomia posita à Galeno 9. de vtilitate part. & ab omnibus Doctoribus cerebrum diuidi in duas partes, anteriorem scilicet & posteriorem, ac neruos dantes principaliter sensum, oriri qui sunt molliores & subtiliores ab anteriori parte cerebri molliori, neruos verò dantes motum à posteriori, similiter partem posteriorem cerebri diuidi in dextrum & sinistrum & eodem modo in nucham, quæ dicitur vicaria cerebri. Nono, septem paria neruorum dantia sensum, & aliquantulum motū oriri immediatè à cerebro, reliquos verò neruos dantes & sensum & motum ab ipsa nucha & eius vicaria. Decimo noto, quod nerui dantes sensum faciei ortum habent à tertio pari neruorum. His igitur à me notatis facilè erit corollarium inferre, à quibus causis & à qua parte cerebri, vel nuchæ dependeat stupor nostri ægrotantis, & pro huius declaratione pono istas conclusiones. Prima con-

A clusio, stupor iste nō fit à debilitate virtutis: probatur, quia non febris debilitans, nec aliquod accidens aut syncopale, aut alterius modi præcessit, &c. Secunda conclusio non causatur etiam à multa frigiditate ingrossante, nec à caliditate resolvente spiritus, cum nulla præcesserit causa talis effectus nec intrinseca nec extrinseca. Tertia, membrorum coarctatio aut fortis strictura non est in causa, probatur ex infirmi relatione, qui nihil horum passus est. Quarta spirituum transitus nō prohibetur ab oppilatione attenuatoria, vel à nimia siccitate: probatur, quia ista cōtingunt in magna siccitate & extenuatione, quæ minimè adhuc in eo videtur, à quibus eum Deus auertat. Quinta, nec apostema, nec dolor concurrunt ad hoc nec mollificatio aliqua in eo apparēs: satis hoc est notum, quia talem ægritudinē fuit nunquā passus. Et vt tandē definitis & enumeratis omnibus causis stuporis ponam vnā cōclusionem cōplectentem dearticulatā causam in hoc nostro patiente.

C estq; sexta cōclusio, causa stuporis in domino Hieronymo est oppilatio, primo existens in originibus neruorum tertio pari, per quos tendunt spiritus ad dādum sensum ipsi faciei, & parti sinistrae, secundo coniuncta neruis descendētibus per partem sinistram nuchæ, per quos transeunt spiritus sensibiles sensum tribuentes brachio sinistro, & etiam cruri eiusdem lateris, quæ oppilatio cauauit stuporem prius apparentē in parte sinistra faciei, postea verò in brachio & crure, vt dictū est.

D hanc verò oppilationem teneo causatam à plurimis humoribus phlegmatis in cerebro genitis, tum propter malam complexionem essentialē cerebri, tum etiam propter communitatem, à stomacho præsertim, qui plurimos humores phlegmaticos sua frigiditate generat, qui à caliditate cerebri attrahuntur ad caput, & ipsum magno opere replent, quæ humorum phlegmaticorum repletio oppilat meatus, per quos spiritus transeunt sensibiles ad membra iam dicta. Nec est mirabile quod stupor appareat magis in sinistra parte quàm in dextra, quoniam debiliior est: membra autem fortia & nobiliora trāsmitunt ad debilia, & ignobiliora superfluitates: prima, primi cap. de Membris. Oppilatio igitur est causa immediata istius stuporis, causæ antecedentes sunt humores à prædominio phlegmatici: causæ verò primitiue inordinatum regimen in omnibus sex rebus non naturalibus & amoris, scilicet in coitu inordinato, cerebrum ac omnia membra principalia debilitās, & etiam stomachum, vt superius diximus. Et hæc de causis, quibus assignatis superest inferre Prognosticum, quod quidem non debet proferri absq; reuerentia ac timore. Primò ex dicto Rasis, 9. ad Almanforem continent. Stupor nisi citius curetur, ducit ad paralyfin & mollificationem. Secūdo ex autoritate Principis cap. de Stupore, vbi inquit: Stupor nūciat apoplexiā, epilepsiam, spasmus & paralyfin communicat toti corpori. Idē tenet Gal. Serapio, & alij omnes de Stupore scribentes. Cum igitur sit adeo malus nuncijs, non certè est in leui ponendus, sed penitus amouēdus: quod vt citius fiat, veniendū est ad curam & ad quartum ac vltimum punctū ab